



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XI. Aduentus Tridentum Moroni Legati, ac postea Lunensis. Prior ad  
Caesarem destinatus: eius colloquium cum varijs Principum Oratoribus,  
eiusdemque verba in coetu generali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1563: quoque rebus profuturum fuisse, si Pontifex cum Cæsare congrederetur, cum certe Cæsar ab ipso coronandus esset.

Ad vadium onium continuationis, iam apud Regem vnum diploma, alterum apud Vargam esse; simile aliud à se missum iri ad Picarium; adeoque esse in Regis potestate illud, vbi vellet, ad Legatos deferendum curare, & ita rem absolvere: per quod Pontifex significauit, nolle se debitore esse Regi illius indulgentiæ, de qua nihil ipse laborabat, & in quam alter non sui, sed Cæsaris gratia reuera se flexerat. Omne debitum ac ligamen naturali hominum, & præsertim Principum superbiæ graue est; sed illud intolerabile, quo admissio videntur sibi non laudem tamquam grati, sed contemptum tamquam decepti promereri.

## C A P V T X I.

*Aduentus Tridentum Moroni Legati, ac postea Lunensis Prior ad Cæsarem destinatus: eius colloquium cum varijs Principibus Oratoribus, eiusdemque verba in cætu generali.*

**I**Ta res habebant, cum Moronus Legatus, vt ceteris præfessus electus, ad Concilium aduentabat. Et quamquam communi voce compertum esset<sup>a</sup>, illum, antequam Tridenti persisteret, Oenipontem iturum, tamen Legatis id ipsum, per Aulæ litteras nondum cognitum, affirmare non licebat sine periculo erroris ac leuitatis. Quare melior ipsis conditio videbatur, credi se vel parui habitos à Pontifice in communicatione negotiorum, vel nimis obtegentes sui in ea dissimulanda, vt qui nihil certi promebant. Et quidem in huiusmodi sententiam tacite conquesti sunt Borromæo rescribentes, qui tandem ipsis rem significat vnà cum professione iam suscepta à duobus Legatis; quod excusauit Borromæus<sup>b</sup>, respondens, rei notitiam Tridentum transuolasse per tabellarium Româ missum ad Cæsarem ab ipsius Oratore, in Aulâ verò morem non esse tradendi litteras aliorum tabellarijs, adeoque hinc effectum, ne ille certum ac legitimum nuntium Legatis afferret. Quod exemplum documento sit ministris, ne statim angantur, quali respecti à suis Principibus in aliquo euentu, aduersus quàm ipsi mereantur, cum innumeræ nec opinabiles sint rerum conditiones, à quibus necessarium aut rationi consentaneum redditur id quod dissentaneum videbatur. Moronus comitem præuertens Tridentum peruenit die<sup>c</sup> decimo Aprilis, Paschatis peruiugio. Ancep

<sup>a</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum primâ Aprilis 1563.

<sup>b</sup> Ad Simonetram 27. Aprilis 1563.

<sup>c</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum 11. Aprilis 1563 & Acta Arcis Æliæ: vbi pariter referuntur ingressus Moroni, eius verba in cætu generali, prorogatio Sessionis habita 21. Aprilis, ingressus Nauageri, litteræ Regiæ Sæctiæ, & responsum Concilij.

fuit, an priuato ritu ingrederetur: sed veteres Legati existimarunt, decori ac lætitiæ gratiâ id cum pompa & solemniter peragendum. Quapropter obuiam honoris causâ processerunt tum ipsi Legati, tum Madruccius, ad hoc officium reuersus, tum Oratores omnes, excepto Veneto, qui ægrotabat, tum cuncti Præsules <sup>d</sup>. Ingressus est habitu Pontificali, sub umbella: duo verò Legati, qui mille passus ipsi obuiam ierant cum carbasina & exomio, infra sequebantur vnâ cum Madruccio.

<sup>2</sup> Ingens omnibus incessit lætitia, non impar spei conceptæ, ad accessum tam adspectabilis Præsidis, de prospero successu illius operis, cuius difficultas desperationem penè pepererat. Creuit autem in animis vtraque iucunda affectio ex aduentu post biduum Claudij Quignonis <sup>e</sup>, Lunensis Comitiss, Hispani Oratoris, qui, utpote nimis expectatus, iam quasi contra expectationem apparuit. Occursus difficultate non caruit, non ab ipso, sed à Drascouizio iniecta <sup>f</sup>, qui statuerat interesse, adeoque vetus litigium inter ipsum & Lusitanum reuixisset. Quipropter necesse fuit Legatis ad preces studiosissimas confugere, quibus hominem retinerent. Voluit tamen illi occurrere Sigismundus Tonus, quicum contentio non erat, quippe Cæsaris quatenus Cæsaris Orator: nec ipsum tunc remouit recreatio ab agritudine, siue id ageret ad Lunensem honorandum, suo Principi percharum, siue, ut quidam suspicabantur, ut peruerteret consilium Lusitani, qui iam statuerat Hispanum Oratorem deducere medium inter se atque Lansacum; cum homines propensione quâdam ferantur, etiam sine odio, ad impediendos per artem honores alterius, eosdem sibi per artem conquirentes.

<sup>3</sup> Vix peruenerat Moronus, cum ipsum adiere & omnium Principum Oratores, omniumque nationum Episcopi. Exposuerunt Gallicæ necessitatem emendationis festinandæ, & ad proponenda triginta quatuor ipsorum postulata eundem sollicitarunt. Ad primum, de quo pariter Hispanorum Præsulum petitiones conueniebant, respondit: Pontificem desiderio cunctos præire, & quamprimùm proximis operibus verba comprobaturum iri, cui alij se credere professi sunt, alij ad effecta fidem reseruare: & vniuersè in Patribus animos deprehendere visus est Legatus varios potius quàm malos. De altero dixit Gallis, Antequam de re ageret, oportere sibi Cæsaris mentem audire, quòd iniretur ratio rei conficiendæ, quâ cunctis satisfaceret: celerem suam profectionem futuram; & reditum, ubi liceret, celeriore. Illi comprobato responso eum ad iter cohortati sunt, quod reliqui omnes præstitere, sed post aduentum Lunensis,

1563.

<sup>d</sup> Præter dictas Legatorum litteras, epist. Vicecomitis ad Borrom. 13. Apr. 1563.

<sup>e</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum 13. Aprilis 1563. & Acta Salmanticensis.

<sup>f</sup> Litteræ Vicecomitis ad Borromæum 13. Aprilis 1563.

<sup>g</sup> Litteræ iam citatæ Legatorum.

oriae  
ily Trid.  
s III.

1563. nensis, qui præstò erat vt postridie ingrederetur, & expectato Lotharingo, propediem adfuturo, quorum vterque id per litteras à nouo Legato petierant.

h Litteræ  
Moroni ad  
Borromæum  
17 Aprilis  
1563.

h Primum constat ex litteris Borromæi ad Legat. 10 Februarij 1563 alterum ex adductis monumentis.  
h Litteræ Legatorum ad Borromæum  
14. Ap. 1563

h Litteræ Legatorum ad Borromæum  
14. Ap. 1563

Lulitanus in expromendo consueto sibi studio non modico processus optimi se continuit<sup>h</sup>: Venetus rectam rerum absolutiorem maximoperè commendauit, obtulitque omnem quam posset operam Reipublicæ suæ. Cæsarei, ac præcipuè Drafcouizius, solitam statim chordam de concessione Calicis tetigerunt: eisque responsum est, Ea de re, quod spectabat ad Synodum, iam compertum ipsis esse quantum sententiæ variarent; quod verò ad Pontificem, postquam Patres rem illi commiserant, nouam ad eundem Cæsaris petitionem non accessisse. Quod quidem verum erat, quamquam Drafcouizio accideret inopinata: etenim Cæsar, antequam ad iteratam petitionem progrederetur, apud se statuerat cum Principibus & de re ipsa & de modo deliberare, sicuti explicabimus. At quidem Bauarus Oratores huius rei causâ<sup>1</sup> miserat ad Pium; Galli verò ipsum assidue fatigauerant.

Dein<sup>k</sup> Legatos etiam inuisit Lunensis, eisque reddidit regiam epistolam, iam vsque ab Octobri elapso scriptam. Moram suam excusauit partim interiectis morbis, partim alijs publicarum rerum obstaculis: spem Regis exposuit de fructu Concilij in tanta Christianorum necessitate; mandata sibi tradita ad illi fauendum vniuersâ Regis auctoritate, & paratum in se animum ad ea perficienda. Tum Regi, tum Oratori responsum est, pro eo quod decet & solet. Hi post verba superuacanea, sed simul necessaria vrbantiaris, Comitem rogarunt, vt, quippe in primis peritus Aulæ Cæsareæ ac Germaniæ, ipsis viam aliquam indicaret ad aberrantes reuocandos. Quibus respondit, aliam à se non conspici, nisi vt boni Concionatores adhiberentur, & quantum posset, Societas Iesu propagaretur, sermone de concessione Calicis datâ operâ declinato.

Idibus Aprilis exceptus est<sup>l</sup> nouus Legatus ritu consueto ab vniuerso conuentu, recitatoque diplomate, quo eligebatur, Orationem ipse habuit rebus accommodatam. Calamitates enumerauit regionum Christianarum, ad quarum leuamentum eam Synodum Pontifex collegerat, quò Diuina indignatio placaretur, & Christiani populi aduersus communis hostis superbiam in vnum cohererent. Dignitatem illius conuentus ostendit, cui duo Principes Cardinales aderant, tot Regum magnorumque Dynastiarum Oratores, tot Præsules quibusuis animorum dotibus venerabiles, tot excellenti doctrinâ Theologi. Doluit ob recentem iacturam duorum

rum clarissimorum Præsidum ; sui ac Nauageri subrogationem exposuit. Dixit, à se, quoad licuerat, onus suis viribus formidabile recusatum, sed obedientiam denique timori præualuisse. Sibi tunc ad Cæsarem eundum esse, & illinc per summam celeritatem reuertendum, vt ipse Patrum socius bonum publicum promoueret. Etiam si quæuis alia sibi deessent, duo quidem à se geri, Primum, optimam voluntatem Pontificis, cui summa votorum erat, vt doctrina Catholica erroribus, Ecclesiastica disciplina corruptelis, Christiana Respublica abusibus perpurgarentur ; vt prospiceretur peculiari Prouinciarum necessitati ; vt Ecclesia vel cum aduersarijs pacem iniret, quantum per Religionem, Sedisque Apostolicæ dignitatem liceret. Alterum, suam ipsius voluntatem, sua cuncta studia, viresque suas omnes impendendi ad ea bona consequenda: quantum ea, quæ secum afferebat, profutura essent, in Patrum potestate collocari: eorum prudentiâ, doctrinâ, auctoritate, ad optatum exitum deduci posse Concilium. Quapropter se illos cohortari, ac per Deum obtestari, vt depositis contentionibus, quæ plurimum offensionis Christianis nationibus creabant, & ineptis quæstionibus, quæ non ad ædificationem Fidei, sed potius ad peruersionem audientium, temporisque iacturam faciebant, animos ad id quod erat pernecessarium, coniunctim & omnino conuerterent. Cauent in primis, ne scientiæ vento è tuto submissi animi portu pellerentur, memores effati, quòd Deus, à quo cuncta bona sunt expectanda, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Si demisso concordique animo forent, euenturum vt S. Spiritus ductu preferrent Ecclesiæ vberimum tot itinerum, sumptuum, studiorum ac laborum fructum, atque vt accenderent quasi præcelsam ac perpetuam facem, ad cuius lumen non præsentis modò homines, sed futuri vitæ curriculum dirigentes, faciliè ad tutum salutis portum appellerent ; simul etiam, vt summis Deus laudibus coleatur eorum operâ, adeoque fierent ipsi huiusmodi laudum participes in terris, ac solidiori immortalique gloriâ donarentur in cælo. Eâ ratione communi plausu acceptâ dimissus est cœtus, plerisque cum pari lætitia fiduciaque abeuntibus. Etenim tamen verba, quippe facilia, debile difficultium operum indicium præferant; pauci tamen sunt, qui concinna ac neruosa verba tamquam grande pignus operum non accipiant. Adamantinus est ille animus, qui eloquentiæ incantamento resistit.

Pars III.

Ggg

CAPVT

oriae  
ily Trid.  
s III.  
V  
lib. 20.